meſtica clade, beatoque optimæ deſideratiſſimæque Conjugis, Reginæ Barbaræ Camerariæ, V. Martii A. MDCCVIII. ad cœleſtem Patriam evocatæ, obitu: in dies ac menſes integros differrem; fieri equidem non aliter potuit, quam ut interjecto totius triennii ſpatio ex operis demum typographicis prodeat, ac, ſi omnem ab initio temporis moram computem, nonum preſſus in annum liber emittatur. Cæterum, ut ſummam ac finem inſtituti in compendio oſtendam: Uſum profectumq; ſtudioſæ juventutis, (quem privatis ſcholis, divino beneficio, non defuiſſe exempla docuerunt) Exercitationum noſtrarum in publicum emiſſione unicè intendimus. Videbunt diſcentes, unde præſidia petere debeant aut poſſint, ad altiora enitendi, & in hoc præſtantis ſcientiæ campo ulterius progrediendi. Dogmata etiam invenient potiora, theſesque: non tamen macilentas, aut, qui nonnullis mos eſſe videtur, pro auctoritate conditas; ſed argumentis plerumque, ac rationibus munitas: ne iis quidem temerè neglectis, quæ pro adverſa parte moveri poterant, additisque ſolutionum ac reſponſionum fundamentis, auctoribusque idoneis, ex quibus plenior totius rei ſeries poſſit comprehendi. Memini, deſiderata à magno Viro ſingularum *Repertoria* ſive *Inventaria* ſcientiarum fuiſſe. Niſi fallor, nos practicarum, qua patent, diſciplinarum Promtuarium condendi Viris doctis occaſionem, & magni, juſtamque olim in molem evaſituri operis quoddam velut initium ſuppeditamus. His

non